

nostris et quinque alios optimos pedites. Videns autem Comes quod Faventinis non succedebat prospere, suo vexillo sumpto propria manu nostris festus <sup>festus</sup> succurrit [a], quibus et audaciam reddidit [b] et inimicos post cedes multas et vulnera in civitatem recludi coegit. In hac quidem die facta est plaga satis magna utriusque. Reversi igitur domum, domino Comiti viri et mulieres gratias reddebat ipsius; qui in jam dicto periculo et aliis multis suis dignatus est succurrere amicis atque subiectis. In hac siquidem <sup>et</sup> guerra habuerant Faventini cccl equites.

*Nota tenorem pacis*  
*Pax et concordia [d] inter Faventinos et Molenses (57).*

## CAP. L.

In fine autem anni [e] per Dei gratiam <sup>hoc</sup> inter nos et hostes facta est pax et concordia, ita siquidem, quod Molenses foveas et muros atque munitiones omnes, quae erant circum civitatem, destruxerunt penitus; omnes forenses, quos per litem motam recuperant, expulerunt; duo pallia Ecclesie Faventiae et solidorum valentia [f], et totidem Ecclesie Bononiensi annis singulis in perpetuum dare juraverunt; totum districtum Faventinis et Bononiensibus aequaliter concesserunt, quibus etiam civitatem ad obedientium et pro eorum voluntate, pacem et guerram faciendam tradiderunt omnino [A].

*Quando accensus est ignis in domo Girardini [g] de Farulfo [B].*

## CAP. LI.

Sub anno Domini MCL primo, in mense Augusti, in vigilia sancti [h] Bartholomei apostoli, accensus est ignis in domo Girardini de Farulfo [i], qui matricem Ecclesiam et totam prorsus combussit civitatem.

\* Heronot.

\* Credo, quod iste Girardinus de Farulfo fuerit de Farulfi de Mariano de Faventia. <sup>in margine</sup> add. mena saec. XVI in 1.  
— [a] nostris festinus succurrit, Cl. Mitt. In C. M., nostris festus succurrit; in C. A., nostris fessis succurrit. — [b] quibus et audaciam reddidit, Codd. V. et M.; alii, pro reddidit, legunt addidit. — [c] In hac siquidem, C. M. In C. V., in hac quidem. — [d] Pax et concordia etc. Titulus additus a nobis, quia deerat in Codd. Distinguendum porro credidi suo titulo caput hoc, tum quia textus Manfred. incipit a capite, litera maiuscula et rubra, ut adhiberi solet ab auctore in principio capitum, tum quia in eodem se diversa omnino a superioribus re agitur. — [e] In fine autem anni, C. V. In C. M., in fine autem anno. Non, ut Tondutius putat, altero anno. — [f] C. solidorum valentia. Sic. Codd. — [g] in domo Girardini, C. V. In C. M. deest in domo. — [h] in vigilia sancti, C. V. In C. M., vigilia sancti. — [i] Girardini de Farulfo, Codd. V. et M. Supra habent Codd. Girardini de Farulfo. Nota varietatem idem nomen efferendi.

[A] In hoc capite fere eadem repetuntur, quae dicta sunt in capit. xxvii et xxxiv. Gregor. Zuculus in vers. Ital. haec omnia sub annum unum MCXLVIII redegit, nulla diversorum temporum habitatione.

[B] Apud Tondutium, ad ann. MCLV, in charta quadam ibi allata, memoratur Gerardinus Farulfi. Item in alia, ad ann. 1168.

23 Aug. 23